

præsupponit minorem. Ea verò, per quæ res ab invicem distinguuntur, alia iisdem necessariò insunt, ut sine iis talis naturæ res esse negant; alia contingenter tantum, sine quibus etiam talis naturæ res esse possunt. Ista essentialia, hæc accidentia vocantur. Accidentia igitur sunt, quæ rei essentiam peculiarem non dant, sed mutari in illâ possunt, ut tamen res quoad essentiam maneat id, quod erat. Essentia autem est id, per quod res aliqua præcise hoc & non aliud quidam existit atque cognoscitur, & sine quo ad quæstionem: Quid sit? responderi non potest. Non ergo mutari essentia rei potest, ut nihilominus eadem maneat res. Unde regulæ sunt: Essentiæ rerum sunt æternæ; Essentiæ rerum sunt sicut numeri. Hæc essentia vel est in re singulari, quæ ideo vocatur *Individuum*. Vel multis individuis est communis, diciturque *Species*. Quod si individua communem essentiam habentia diversarum specierum sunt, ista communis essentia appellatur *Genus*, vel *Essentia genericæ*. Rursus, si res aliarum rerum respectu considerantur, quarum diversa est Essentia, unusquisque Essentia dicitur *Differentia*, ac ea quidem vel *genericæ* est, vel *specifica*, vel *individuica*. Ita hæc explicat ipse THOMASIUS *Introduct. in Log. Cap. IV. §. 16. sqv.* ad quem eò Lubentius provocamus, ut elucescat, quomodo asserta ab eo hominis regeniti & irregeñiti differentia specifica cum his bene recteque dictis conveniat. Intelligitur autem ex istis, quænam specie differre dicantur, nimicum, quæ habent essentias diversas solis individuis pluribus communicabiles, per quas quodlibet eorum in esse peculiari talis rei constituitur, ac à rebus aliâ essentiam habentibus distingvitur, ita ut, mutatis illis, talis naturæ ac speciei res esse desinat. Equidem JCTOS, & seqventes eos Moralium Doctores nonnunquam terminum Speciei aliter usurpare deprehendimus, ut *Species*, etiam *specialissima*, illis dicitur *genus*; quemadmodum ex adverso Speciem vocant, quod nobis dicitur *individuum*. Ita namque utuntur his terminis in materia *Contractuum*, quando, in contractu Mutui idem *genus* tantum reddi debeare, traditur, i. e. non illa ipsa numero res, quæ data erat, sed res eiusdem naturæ in eâdem quantitate ac qualitate: in *Commodato* autem eadem *species*, i. e. eadem numero res, quæ data erat: quæ alias, juxta significationem Logicam, ita efferrentur: In Mutuo reddendam

esse